

Q. D. B. V.

QVÆSTIONEM SCHOLASTICAM:
AN CREATURA
CREATIONIS CAUSA,
VEL PRINCIPALIS VEL
INSTRUMENTALIS POSSIT
ESSE?

DEI GRATIA

& Inclutæ Facultatis Philosoph. Indultu,
SUB MODERAMINE

Spectabilis hodiè DECANI,

DN. VALENTINI ALBERTI,

SS. Theologiz Doctoris, ejusdemq;e P. P. Extraordinarii, Log.
& Metaph. Ordinarii celeberrimi, Consistorii Elect. & Duc. Assessoris,
Alumnorum Electoral. Ephori, Academiæ Decem-Viri, Colleg.
B. M. V. Collegiati, ejusdemq; ut & Nationis Polonicae Se-
nioris, Viri de omnibus queis fungitur officiis
præclarissimè meriti,

*Dn. Patroni & Preceptoris sui Parentis instar ad cineres
usque de venerandi,*

Publico placidoq;e Eruditorum examini

H. L. Q. C.

Subjicit. Ne bivp. O
AUTOR & RESP.

HENRICUS VOLCKMAR SCHERZER, Lips.

Philos. Baccal. & SS. Theol. Stud.

Coll. diss. A
1, 59

Die XXVI. Januar. A. O. R. M. DC. XCII.

LIPSIAE,
Stanno FLEISCHERIANO.

9. 31. 6. 16.

a. f. 50.

V I R O
Præ-Nobilissimo, Excellentissimo
& Consultissimo,
D O M I N O
GOTTFRIED BARTH,
J. U. Doctori celeberrimo, nec non Causa-
rum Forensium Patrono Famigeratissimo,

*Dn. Patrono, Hospiti ac Adfini summo observantie
cultu prosequendo.*

Uit &

Sächs.
Landes.
Bibl.

V I R O

Plurimum Reverendo, Amplissimo atq; Præcellentissimo,

DOMINO
M. JOH. GUNTHERO,
SS. Theol. Baccal. Templi Lipsiensium ad
D. Thomæ Diacono vigilantissimo, & Coll. B. M. V.
Collegiato gravissimo,

*Domino Patrono, Fautori & per aliquot jam
Iustra Praeceptoris suo uti fidelissimo, ita nullo non honoris
cultu etatem devenerando,*

*Qvicquid est primitiarum harum Academicarum,
in gratia mentis tesseram, & ulteriore Favorem
conciliandum, cum voto omnigenae prosperi-
tatis*

p. p. p.

AUTOR.

Ad
Nobiliss. Eruditissimumque
DN. RESPONDENTEM,
Affinem M. Dilectissimum.

REDE facis, quod disputas, & ante-
quam in Schola coroneris, in cathe-
dra præliaris. Argumentum autem,
in quod sponte tua incidisti, num ad
palatum sit omnium, valde ambigo. Deprom-
ptum id est ex ingeniosa Scholasticorum supelle-
ctile, quam hodie inter scorias aut quisquilias
non pauci abjiciunt; tantum abest, ut ament
eam æstiment. Nostiverò, quam audax sit ca-
lumnia, ut B. Parenti Tuo, quid? B. Hülsemann-
no, Præceptor ejus ac meo, nibile exprobret ma-
gis, quam eximias in hoc studio progressiones,
dataque publicè haud vulgaria ejus specimina.
An igitur Tibi parcet, paterna vestigia jam
pressuro? Sed bono sis animo, minusque, quam
canum latratus, illorum hominum convitia me-
tuas. Nesciunt enim, quid loquantur aut scri-
bant.

bant. Nec enim mihi ullus est notus, qui ex illis Scholasticæ eruditionis osoribus, calleat eam, quidque in recessu habeat necne, noverit. Plura non addo. Nam hoc sufficit, ut cum cœcis de coloribus judicium ferentibus eos comparare possis : Imò ut objicias illis tritum istud: Ars non habet osorem, nisi ignorantem. Mihi verò vel maximè ideo tuus hic conatus non displaceat, quod de ingenio Tuo testetur, ad hæc aliaque gravissima studiorum genera feliciter pertractanda non inepto. Quod si accesserit, de quo non dubito, indefessa diligentia, divinaque, quam animitus Tibi appreco, gratia & benedictio, novum Ecclesia habebit aliquando Scherzerum, quem invidi ac malevoli frustra oderint, boni omnes meritò colant & venerentur. B. V. E Mus. 23. Januar. A. 1692.

T.

D. VAL. ALBERTI.

CAPUT I. DE PRÆSUPPOSITIS.

§. I.



Mnium Terminorum in themate $\chi\tau\iota\sigma\mu-$
 $\pi\lambda\omega\kappa\omega$ adhibendorum evolutionem esse
necessariam, neminem, nisi omnis me-
thodi ignarum, inficias iturum confido;
qvapropter & nos jam statim accingimus
ad eorum explicationem.

§. 2. Creatio verò, qvæ vox est una è præcipuis h. I.
omni ævo variè accepta fuit. Fuere 1.) qui ad primam-
rerum productionem, quæ ipsissima fuit creatio, aliquid
materiale prærequisiverunt. Pertinet huc *Anaxagora*
materia præjacens; vid. *Arist. Metaph. cap. 6. Lib. 1.* quæ
chaos alias nomen induit, testibus *Lactant. L. VII. c. 3.* &
Augustino de C. D. L. XI. & XII. qui multa insimul de hac
materia differuere. Offenditur Marcionis, Hermogenis &
Manetis materia æterna, Thaletis & Audeani aqua æterna,
Democriti & Epicuri Atomorum concursus omnia con-
stituens. Reperitur 2.) Aristotelis non causalitas semp-
ternorum principiorum *Metaph. c. 1.* quæ non causalitas
partim oppugnatores in *Gregorio in 2. dist. 1. quest. 1. Marsil. in 2. q. 1. Art. 2. Bessar.* & aliis, defensores partim in *Averroë*
Metaph. Scoto quodlib. quest. 7. & aliis offendit. Occurrit
3.) *Valentia*, qui *Disp. III. Quest. 3.* creationem pro DEO
ipso habuit una cum Maccovio; vid. *Maccov. rediviv. p. 133.*
seqq. Plura desiderantem alegamus ad *Sbarezii Tom. I. Disp. XX.*

§. 3. Nos autem descripturi hunc attributorum
B. 11. actum

actum (cùm attributum ipsum aecurate loquendo non sit,) dicimus creationem esse productionem substantiæ ex nihilo.

§. 4. Dari creationem vel solam adhibentibus rationem patere credo. Solidissime hoc probarunt viri eruditissimi, inter quos haud ultimi sunt *Thomas P. I. q. 44. Art. I. Alens. p. 2. q. 6. Art. 6. Hervæus & alii.* Adhæc Scholastici, optimi hac in palæstra Magistri, per triplicis viæ suæ (de qua vid. *B. Parentis Syst. L. II. §. 2. p. 35.*) modum primum, nimirum causalitatem, creationis ex lumine naturali demonstrabilitatem accuratè inculcant.

§. 5. Productio Substantiæ generis locum in definitione occupat, sive intelligatur creatio secunda, qua Deus ex nihilo privativo, seu rectius inhabili, productis esse suum largitur; quæ mediata passim audit creatio; sive prima, qua DEUS immediatè omnia ex nihilo negativo immediate produxit.

§. 6. Nihilum itaque quod differentiam denotat, dispescitur (1.) in nihilum subjecti, quod est purum putum nihilum negativum, ubi subjectum est nihil, hocque creationi primæ tribuit §. præcedens. Sic nihilo negativo chaos & Angeli, nec non animæ Protoplastorum & lux primigenia, suam debent originem. Et 2.) in nihilū sui, quod in se quidem aliquid est, interim tamen respectu hujus effectus producendi nullam aptitudinem aut proportionem in se habet, ut cum Adami corpus ex gleba terræ fuit conditum.

§. 7. Causa h. l. propter diversitatem causalitatis in principalem & instrumentalem abit.

§. 8. Causa principalis nobis est, quæ per virtutem vel æque nobilem cum effectu, vel nobiliorem influit in actionem, per quam talis effectus producitur. vid. *Sparez. Disp. XVII. Sect. II.*

§. 9.

§. 9. Causam instrumentalem Scotus à causa principali per antonomasiam seu omnino independenter operante distinxit. Sed impropriam esse hanc distinctionem ratus, ita illam definio: Causa instrumentalis est, quæ elevatur ad producendum effectum virtute causæ alterius, ut plurimum se nobiliorem; ut virtus seminalis respectu viventis. vid. *Arriagam Disp. XV. phys. Sect. 3.*

§. 10. Varias autem hujus distinctionis divisiones & acceptiones esse vel unica *Svarezii Disp. XVII. Sect. II.* demonstrat; sed hæ non sunt hujus loci. Infrà tamen nonnullas in responsionibus ad argumenta opposita, in c. ii. hujus dissertationis sumus adducturi.

CAPUT II.
DE
IPYSIS QVÆSTIONIBUS
PRINCIPALIBUS.
SECTIO I.
DE
PRIMA QVÆSTIONE.

Quæritur: An creatura possit creationis causa principalis esse? Negativam sequentibus innisi fundamentis tuemur.

§. 1. Universaliores nempe effectus (1.) ad universaliiores & priores causas sunt reducendi; inter omnes autem effectus est universalissimus ipsum esse; unde oportet proprium & universalissimum effectum esse primæ & universalissimæ causæ, quæ est ipse D E U S. Unde etiam dicit *Thomas P. I. Q. 45. Art. V.* quod nec Intelligentia nec

anima det nobis esse, nisi in quantum operatur operatione divina, & per consequens saltem ut instrumentaliter, non vero principaliter. confer *Fonsec. in M. Aris. L. V. c. II.*
Q. VIII. Sect. II.

§. 2. Porro, (2.) si creatura creat principaliter, necesse est habeat virtutem infinitam simpliciter, ac proin-
essentiam infinite perfectam, quæ creaturæ repugnat.
Qvanto enim id, ex quo aliquid fit, est elongatius, ut lo-
quuntur, ab actu, tanto in agente requirit majorem perfe-
ctionem, ut uno aut certis numero actibus & certa dura-
tione ex ipsô illud fiat; sed id, ex quo res creaturæ, ita elon-
gatum est ab actu, ut superet omnem aliam elongationem
vel saltem mente perceptibilem; requirit igitur in cre-
ante principali virtutem infinitam simpliciter. Hanc e-
longationem probo exinde, quia nihil & aliquid creatio-
nis sunt termini, inter quos nulla planè intercedit propor-
tio. Similis demonstratio legere est apud *Arist. 4. phys. c. 8.*

§. 3. Ulterius (3.) quicquid est ab alio, id non pot-
est creare principaliter. Atqui creatura est ab alio. E.
Maj. prob. omnis effectus innititur suæ causæ; creaturæ
ergo innituntur causæ suæ conservatrici; & per conse-
quentem non modo in esse sed etiam in omnibus perfectioni-
bus. Hinc ipsæ principaliter, ut causa sua conservatrix,
creare nequeunt. Min. prob. quia nomen creaturæ im-
portat *χειρ* sc. quod sit ab alio.

§. 4. DEUS (4.) conservat omnes res concurren-
do ad omnes actiones; creatio autem est actio. E. si crea-
tura creat, DEUS aut concurrit ad illam actionem, aut non.
Non posterius, quia juxta Aratum ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινή-
μεθα καὶ ἔσμεν. Ergo prius. Sed id non creat principa-
liter, sed saltem instrumentaliter.

§. 5. Impossibile quoque (5.) est creaturam ali-
quam

quam à creaturâ creari posse, quia impossibile est potentiam aliquam productivam se ipsam claudere sub objecto suo adæquato; omnis enim creatura continetur sub ente creabili; ergo non potest pro objecto adæquato potentia sua habere ens creabile.

§. 6. Si (6.) duplex virtus principalis, qua homo saltem pollet ad agendum, non comprehendit virtutem creandi, sequitur quod homo, tanquam creatura nobilissima, non possit creare. Verum est prius. E. & posterius. Consequentia probatione nulla indiget. Probo prius: Duplex enim tantum est virtus, teste *Suarezio P. I. Diff. 20.* & tertia non datur; vel connaturalis & debita, scil. manans à principiis naturæ, ut est calor in igne, vel superaddita seu indita naturæ, ut lumen gloriæ in beato. Atqui prior planè non præstat, ut homo creare possit; posterior tantum, ut instrumentaliter.

§. 7. Accuratè (7.) hîc philosophatur Scotus, cuius hæc est probatio:

O creatura aut est materialis aut spiritualis.

Atqui neutra ex his creare potest. E. Nulla.

Prob. nexum: duo enim membra includentia immidatam & contradictoriam oppositionem complectuntur omnes creaturas possibles. Min. prob. quoad prius de materialibus creaturis, quia crearet vel per materiam, vel per formam, vel per accidentia. *Non per materiam*, quia hæc est pura potentia passiva, & actio intrinsecæ ejus entitati & imperfectioni repugnat. *Neque per formam* materialem; quia talis est modus agendi, qualis est essendi; omnis autem forma materialis habet connaturalem dependentiam à subjecto: ergo etiam ageret dependenter, quod creationi principali prorsus repugnat. *Neque per accidentia*, quia vi concludendi à magis ad minus ac-

cidentia non possunt creare, cùm forma substantialis sic producere nil queat, quæ tamen quoad perfectionem accidentia antecedit, ob dependentiam quam accidentia agnoscunt majorem. Idem patet de creatura spirituali; Ob communem quidem rationem indè, quòd hujus etiam potentia sit finita; Ob specialem, quod ne per intellectum quidem & volitionem, quas quatenus spiritualis possidet proprias, non potest creare. Nam substantia per accidentalem actum potest produci; intellectio autem & volitio sunt accidentia. Hanc conclusionem tenet quoque *Augustinus L. de Gen. ad lit. c. 5.* ubi ait: *Angeli autem nullam omnino possunt creare naturam: solus enim, uniuscujuslibet naturæ suæ magna sive minimæ creator est DEUS.*

§. 8. Si però (8.) cum denegantibus causis secundis omnem actionem faceremus, rem totam hanc facile conficeremus; sed veteres jamjam in hanc sententiam fuisse inventos, vel ex *Cic. L. II. de divinat.* videre est, qui ridiculum & absurdum hujus quæstionis autorem appellat. Sed ex tanto actionem omnem negantium cœtu, qui videri potest in *Colleg. Conimbric. L. II. Phys. C. VII. Q. XI.* persuasum habeo plurimos putasse, nullam actionem à creatura tanquam causa prima procedere posse, sique vim creandi ei denegasse.

§. 9. Patres quoque (9.) nostram probaturi sententiam ab experientia non ineptè argumentantur, docentque, de facto nullam creaturam unquam aliquid creasse. vid. *August. de C. D. L. 12. c. 24. Tertull. Libr. de prescript. heret. Damascenus L. 2. c. 3. & Cyrill. Alex. L. 2. contra Jul.* Vide plures apud *Franciscum de Oviedo*, qui Patrum autoritate adductus nostræ sententiæ subscribit, *P. I. C. XIII. punct. IV. p. 290. §. 2.*

SECTIO

SECTIO II.
DE
QVÆSTIONE SECUNDA:
PARS I.
DE
THESI NOSTRA.

Quæritur: *An creatura posse creare instrumentaliter? Aff.*

§. 1. Aggressuro hanc Quæstionem status controversiæ ante omnia paucis proponendus erit. Quæritur nempe, num creatura, non juxta dispositiones naturales, sed tantum secundum virtutem à D E O communicatam, instrumentaliter aliquid creare possit, si D E U S vellet? quod affirmamus & probamus.

§. 2. Quicquid (1.) non implicat contradictionem, id D E U S potest facere; sed quod creatura assumatur ut instrumentum ad creationem, non implicat. E. D E U S creaturam tanquam instrumentum creationis potest assumere. Probo Minorem: Si enim implicaret, id fieret aut ratione D E I aut creaturæ. Atqui hoc fit neutrius ratione. Nec enim D E O per hoc aliquid accedit, nec creaturæ dedit, quò natura ejus evertatur.

§. 3. Probo (2.) ulterius, qvia D E U S non raro usus est ad effectum supernaturalem elevatis instrumentis, non signis solum, ad quorum præsentiam D E U S operetur ex pacto, secundum mentem *Riveti* cum suis sociis in *Exod. p. 186.* Ita per sacramenta & verbum gratiam supernaturalem confert; quòd ulterius probat *B. Dannb. de miraculis p. 20.*

§. 4. Argumentor (3.) ita: Si miracula patrandi

di potestas creaturæ potest communicari, sequitur quod creatura possit esse instrumentum creationis. Atqui verum est prius (quod potestas miracula patrandi possit communicari creaturæ,) E. etiam posterius, (quod creatura possit esse instrumentum creationis.) Probo consequentiam, quia miracula creationi æquiparantur; vid. *B. Parentis Syst. Loc. de Creat. p. 86.* Minor prob. per experientiam. vid. *Act. III. v. 12.* ubi ab Apostolis facta fuere miracula, non vero idia duidimus. E. tantum instrumentaliter.

§. 5. Qvoniam autem Adversarii potentiam obedientialem passivam concedunt creaturis, ut appareat ex *Arriaga Disp. XI. Phys. p. 288.* concludo (4.) ita: si datur potentia obedientialis passiva in omnibus rebus ad quascunque formas, datur etiam potentia obedientialis activa ad omnes formas. Prius est verum. E. & posterius. Probo consequens, quia difficilis esse videtur, efficere ut aliqua forma dependeat à subjecto, quod ex se non respiciebat, quam efficere, ut effectus pendeat à causa extrinseca, ad quam ex se non dicebat ordinem; quia imperfectior modus dependendi est, dependere à causa materiali seu subjectiva, quam ab extrinseca seu efficiente. E. si quodlibet subjectum potest elevari ad recipiendas quascunque formas, poterit & ad quæcunque extrinsecè efficienda.

§. 6. Pontificios autem maxime miror transubstantiationem affirmantes, & creaturæ vim instrumentariam creandi denegantes. Profitentur enim panem annihilari & in corpus Christi abire. Vide inter innumeros alios *Efsum IV. dist. XI. §. 6.* qui totam inquit substantiam panis in totam substantiam corporis & totam substantiam vieni in totam substantiam sanguinis converti; planè secundum *Concil. Trident. fulminans Seff. XIII. c. II.* Cùm itaque passim inter illos audiatur: *qui me creavit sine me, nunc creatur median-*

mediante me ; vid. *Revium in Suarez* p. 329. subsumo ego
καὶ ἄνθρωπος : Sacerdos creat. Sacerdos est creatura. Ergo
creatura creat. Confer. Vaszquez. Disp. 28.

§. 7. Argumentatur *Bannes Q. XLV.* in Thomam
seqventem in modum: Si agens naturale potest produce-
re de novo materiam primam, sequitur quod possit creare.
Consequentia patet: quia materia haec non potest incipe-
re, nisi per creationem. Antecedens probatur; Ex vi in
consecrato potest agens naturale generare acetum. Ergo
producere materiam primam. Probatur consequentia;
quia tunc de novo incipit esse materia & forma aceti.
Contra Pontificios hoc saltem dictum velim, quos contra
iterum argumentor ex concessis; alios enim transubstan-
tiationem negantes non esse assumturos fateor. Qua-
propter in Pontificiorum saltem gratiam hoc argumen-
tum (non satis alias probatum *B. Parenti in syst. MSS.* p.
86.) tanquam ex presupposito eorum falso protuli.

§. 8. Rada ipse negans instrumentum creationis
dari posse *P. II. C. II. p. 43.* Instrumentum ex mente Ca-
preoli, Cajetani & Ferrar. ita definit: *Instrumentum est, quod*
alteri in agendo subordinatur, et non habet propriam for-
mam activam in suo ordine, per quam agat, sed solum agit
per actualem motionem alterius moventis. Jam vero hac
ratione dicere, possibilem esse creaturam, quae tale possit
esse instrumentum creationis, nil video quod obstat, cum
omnipotentiæ Dei hoc ipso nil derogetur, neque in natu-
ra creaturæ quicquam evertatur.

§. 9. *Franciscus Bona Spei P. I. Phys. Tract. II.* non
inepte ita concludit: *Quia Deus dat esse, dare etiam pot-*
est operari; & quia dat esse ex nihilo sui & subjecti, dare
etiam potest operari, videlicet ex nihilo; & per conse-
quens, si creatura operatur ex nihilo, jussu Dei agit in mo-
dum instrumenti. C §. 10.

§. 10. Plura desiderans adire potest *Franciscum d' Abra de Raconis p. III. Phil. Tract. de princip. Arriagam Disp. XI. Phys. S. V.* & alios.

SECTION. II. PARS II. DE ANTITHESI.

§. 1. Ultimam jam Disputationis nostræ partem, constituat contrariæ sententiæ dilutio. Offendimus autem tot adversarios, qvot ferme, si paucos excipias, habemus Scholasticos, qvibus cum præter alios, è Nostratibus etiam facit unus & alter. Catalogum dissidentium si desideras, evolve *B. Qvensted. Syst. Loc. de creatione.*

§. 2. Potissimum verò eorum argumentum hoc esse censeo. Ad rationem nimirum instrumenti requirunt, ut per aliquid sibi proprium operetur, dispositivè ad actionem principalis agentis; sed nulla (dicunt) creatura potest dispositivè operari per aliquid sibi proprium ad actionem Dei creantis. Ergo ipsius instrumentum esse nequit. Ita concludit *Bannes in Thomam P. I. Q. 45. Art. V.* Verùm enim verò respondeo: Creaturis tantùm juxta ordinem naturæ actionem hujusmodi dispositivam repugnare, per absolutam autem Dei potentiam talem eis actionem minimè esse contrariam. Instat: De intrinseca & essentiali ratione instrumenti esse, ut operetur propriâ virtute dispositivè ad actionem principalis agentis. Ergò cùm nulla creatura id possit facere, etiam omnem illi repugnare vim creandi. Resp. propriâ virtute operari non esse instrumenti, sed causæ principalis, qvod *Bannes P. I. Q. 45. art. III.* concedit ipse; prætereà quoque dispositionem, quam

quam desiderat, à Deo creaturæ posse communicari per-
suasum habeo. Ad hæc actio instrumenti səpissimè non
est alia ab actione principalis agentis, (ut inter pennam &
Scribam), & hæc ratione instrumentum non operatur di-
spositivè ad effectum principalis agentis. Confer *Francisc.*
de Oviedo Phys. CXIII. de creat. §. 2. qui quidem sententi-
am Thomæ fovet, sed hoc argumentum planè negligit.

§. 3. Objiciunt alii contra rationes supra adductas,
quod non repugnet, dari creaturam, quæ ne divinitus qui-
dem possit elevari ad omnes effectus. Ergo non esse u-
niversaliter verum, dari in omnibus eam potentiam obe-
dientiale ad omnes effectus. Resp. repugnare hoc
prorsus omnipotentia divinæ. Falsum enim esse censeo,
aliquam posse produci creaturam, cui à Deo virtus crea-
trix communicari nequeat, licet nulla insit aptitudo ; qua-
le erat illud lutum, quo Christus cœci aperiebat oculos,
quod neque aptitudine neque potentia quicquam tale a-
gendi pollebat, accendentibus autem viribus præternatu-
ralibus efficiebat, quod ipsi naturaliter aliàs repugnabat.

§. 4. Urget *Granadus* ad Q. 44. p. 1. quod nullum
instrumentum unquam operetur, nisi priùs quasi efficien-
do aliquid : sicut calor disponit passum ad formam ignis ;
& inde subsumit, eo ipso quod tale instrumentum, cùm
habeat vim passum disponendi, non operetur ex nihilo,
sed ex passo : Ergo non possit creare. Ad hoc respondeo
primò : nullum instrumentum debere aliquid prævium
operari, quod probo ex ejus concessis, dum alibi conce-
dit aquam in baptismo physicè causare gratiam, ast hæc
ablutio nil producit prævium ad gratiam, sed immediatè
assumitur ad instrumentaliter operandum. Ergo potest
aliqua creatura immediatè sine illa præviâ dispositione
elevari ad creandum. Instat *Granadus* ; se solùm statuere

ex mente Thomæ, in effectu debere esse aliquid, quod cor-
respondeat ipsi instrumento, sive id sit prævium, sive iden-
tificatum cum ipso effectu. Verum sic nego applicationem,
quia in effectu producto correspondet aliquid creaturæ
creanti: totus enim effectus producitur ab eō simul cum
Deo.

§. 5. Objiciunt porrò contra argumentum à trans-
substantiatione *na* ἀριθμον desumptum, superiusque ad-
ductum, injuriam sibi fieri clamantes, cùm sacramenta
tantum causas morales, non physicas, esse dicant. Ita
Vazquez disp. 28. c. 6. inquit, *Sacramenta non operari physi-
cè ad effectum suum, sed solum ut instrumenta moralia.* Hæc
sententia est *Scoti* in 4. dist. 1. q. 1. *Becani Sum. Theol. Schol.
p. III. Tract. II. c. 3.* qui probabilius, inquit, est, *Sacramenta
non esse physica instrumenta gratiæ, sed tantum moralia.* Ita quoque *Melch. Canus* in *Select. Ledesma* in 4. dist.
I. q. 3. & *Guilielmus Paris.* l. 1. de *Sacr.* sentiunt. Imò
Rada P. II. Contr. II. omnibus veteribus Theologis eam
tribuit. Resp. quicquid sit de Sacramentis; Missificans
tamen est causa instrumentalis physica, quæ ex ipsorum
mente transubstantiando creat. Argumento rita: Cui
competit definitio, ei etiam definitum. Atque Missifican-
ti competit definitio instrumenti physici. Ergo etiam
definitum. Major tenet. Min. prob. adductione instru-
menti physici definitionis ex ipso *Rada P. II. C. II. p. 44.*
desumptæ & ita se habentis: *Causa physica est, quæ impres-
sione qualitatis aut per naturalem motum, vel per propri-
am formam, verè realitatem effectus attingentem, operatur.*
Applicatio fit in illo trito eorum: *Qui me creavit sine
me, nunc creatur mediane me.* Conf. supra Sect. II. part.
1. §. 6.

§. 6. Objicit *Vazquez* in Disp. 28. c. 6. hanc senten-
tiam

tiam nec in Theologia nec Philosophia firmum habere
fundamentum. *Primum* quidem non in Theologia, quia
ad nullum mysterium fidei nostræ videatur necessarius.
concursum physicus ejusmodi instrumenti. *Deinde* hanc
virtutem instrumentariam sive obedientialem cum philo-
sophia pugnare probat inde: *si, inquit, talis virtus instru-
mentaria esset in rebus, deberet esse nativa cuilibet rei, cum
non esset ab extrinseco derivata: Atqui nulla virtus crea-
turiæ nativa esse potest ad quemlibet effectum: Ergo neque
talis instrumentaria virtus ipsis inesse potest.* Contra pri-
mum Resp. *primò*: nullos transubstantiationem affirman-
tes id posse negare, ut ostensum est suprà: *secundò*, licet
iste concursus non sit necessarius, volente tamen Deo es-
set dabilis, quia possibilis. Secundum quod attinet, ne-
go & pernego, talem virtutem in creatura debere esse
nativam, cum oporteat esse dativam, aut infusam à Deo;
secundum superius dicta.

§. 7. Objicit non nemo Nostratum è *Fonseca C. V. Met. c. II.* *Si ulla creatura posset concurrere ad creationem, periret argumentum, contra Iudeos, Arrianos & Ptotianos, pro asseruenda Deitatem Filii & Spiritus Sancti, ab opere creationis petitum.* *Si enim (inquiunt) aliqua crea-
tura posset aliquid ex nihilo producere, non, quisquis crea-
tor dici posset, Deus esset.* Verùm infirmam Conclusionem
esse, exinde assero, quia non subsumunt de creatione in-
strumentali contra hæreticos, quam nos statuimus, sed
de principali, quam ipsi creaturis denegamus; Et posito,
quod concederemus principalem, quod non facimus; ta-
men dispar adhuc videretur ratiō, quia divinis personis
competeret essentialiter, creaturæ autem per communi-
cationis saltem gratiam & participativè.

§. 8. Objicit autem *Fonseca ipse Metaph. V. c. II. q. 8.*

Sect. II. requiri ad creandum instrumentaliter, virtutem pariter infinitam ac ad creandum principaliter, quia aequè instrumentum ex remota potentia perfectè agere debet concurrendo cum agente principali in reducenda ad actum remotā potentia; quia igitur id (scilicet nihil,) ex quo res creetur, infinitè remotum ab actu sit; Ergo etiam potentiam infinitam requiri. Verūm enim verò [nego] virtutem infinitam requiri ad instrumentum: hāc enim ratione pari ambularent passu causa instrumentalis & principalis, quod absurdum, cùm agere per potentiam infinitam differentia sit non infima principalis & instrumentalis causæ h. l.

§. 10. Communis denique Scholasticorum consensus, quem nonnulli objiciunt, efficaciter probat, secundum illos ipsos, in quæstione de facto: verum in quæstione de possibili non videtur urgere. Adde, plures Scholasticorum solum loquutos esse de creaturis, de facto existentibus, non autem de possibilibus. Ita sentit Arriaga Disp. XI. Phys. Subs. II. p. 290. Tandem, quid illi ad nos? Amicus nobis Thomas, amicus Scotus, sed magis amica veritas.

*§. 11. Præter hanc verò Antithesin datur & alia, quæ creaturam principaliter creare posse statuit. Sed quò audacior, eò etiam infirmior est; quam ob causam etiam illam *suprà in Sect. I.* afferre ac refellere negleximus. Ne tamen planè intacta abeat, brevibus hīc eam examinabimus.*

*§. 12. Primum eorum sit argumentum, quod *de Rada* assert *Lib. II.**

*Quicquid dat esse alicui, id creat illud cui dat esse. Atqui compositum accipit esse à causa creata, (nisi è medio omnem actionem creaturæ tollas.) Ergo aliqua causa creata creat. Min. prob. ex *Arist. 5. phys.* ubi dicit: generatio est ad esse.*

Ast

Ast Resp. statim limitando:

Quicquid alicui dat esse *ex nihilo*, id creat. Sic nego minorem. Nullum enim poterunt afferre compositum, quod à creatura sine præexistente materia sit productum.

§. 13. Eò verò audaciæ procedit *Avicenna*, ut de facto unam creaturam aliam creasse affirmet *q. Metaph. c. 4.* Dicit nempe, secundam Intelligentiam productam esse à Deo, & tertiam à secunda (& sic porro), nullo præsupposito subjecto. Videamus jam duplē ejus rationem.

§. 14. Primo differit sequentem in modum: Si à prima Intelligentia non potest produci, nisi tantum una, sequitur quod secunda intelligentia produixerit tertiam; sed talis productio est creatio, quia est ex nihilo: Ergo creatura, quia secunda Intelligentia creatura est, creat. Probo Anteced. A causa una & vera non potest esse immediatè nisi unicus effectus: sed prima causa est omnino una & simplex: Ergo cùm tertia Intelligentia sit creata, erit creata à secunda, & quia in causis essentialiter subordinatis sicut secunda est à prima, sic tertia à secunda & sic porro: Secunda autem à prima, tanquam à principio: Ergo etiam tertia à secunda tanquam principio erit creata.

§. 15. Responsuro autem ad hanc objectionem distinctione illa *Scoti 4. dist. I. q. 1.* erit adhibenda; quâ bifariam causam principalem sumi docet. Primò pro causa, quæ in agendo superiorem causam non agnoscit, cui subordinetur sic, quod agat independenter à superiori causa agente; in qua significatione solus Deus est principium. Secundò dicitur causa principalis illa, quæ per propriam & intrinsecam formam operatur & agit, licet in a-

gendo

gendo per eam sit subordinata causæ superiori agenti. In hac verò significatione omnes causæ secundæ, quæ per proprias formas operantur, causæ principales dici possunt: ut Sol, homo generans alium. Applico: Ab Intelligentia prima, hoc est, à Deo, dependet omnis Angelus, tanquam à causa principali in primo significatu: Ab Angelis reliquisque creaturis principaliter operantibus, effectus suus tantum in secundo; in quo non datur causa, quæ creare possit.

§. 16. Secundò objicit: Corpus potest producere aliud corpus, ut patet. Ergo una Intelligentia aliam: Ex Arist. I. & 4. Metaph. Tunc unumquodque perfectum est, cùm potest sibi simile producere: sed Intelligentiæ sunt multo perfectiores corporibus: Ergo producere sibi simile poterunt; sed non possunt producere, nisi per creationem: Ergo intelligentia creata potest creare aliam. Verum enim verò Resp. Propositionem Philosophi procedere in illis, ubi non repugnat naturæ, communicari à simili in specie; sed non quocunque perfectum in specie potest communicare suam naturam, nisi quando ipsa natura est communicabilis ab extra, ut accidit in homine, & equo. Angelus igitur propterea non potest creare, quia ejus natura non est communicabilis. Meminerunt hujus Avicennæ sententiæ *Fonsec. in Metaph. Arist. L. V. c. II. q. 8.* & ante eum *Thomas P. I. q. 45. Art. V.* & alii.

§. 17. Objiciunt porrò: Quantò major est resistentia ex parte facti, tanto major virtus requiritur in faciente; sed plus resistit contrarium quam nihil: Ergo majoris virtutis est aliquid facere ex contrario (quod creatura facit), quam aliquid facere ex nihilo. Et per consequens creatura multò magis ex nihilo quam ex contrario poterit producere aliquid. Resp. invertendo; multò majoris

majoris nempe esse virtutis, facere aliquid ex nihilo quām
contrario, quia multò major potentia requiritur in agen-
te, si nihil præexistat, quām in producente aliquid è con-
trario, ubi aliquid præexistat necesse est.

§. 18. Audacter etiam *Gabriel Vazquez* p. I. Sum-
mæ Tom. II. Disp. 175. c. 2. *Gabriel Biel* libr. II. sent. dist. I. q.
4. Art. 2. & *Mendoza* disp. phys. 12. sect. 7. affirmant, nec ex
lumine gratiæ nec naturæ posse afferri ullam rationem,
quæ sufficienter deneget creaturæ potentiam creandi.
Sed Resp. si per *creare* illi intellexere, aliquid principali-
ter ex nihilo aliquid producere, erroris crimen incurruunt,
cum suprà ex ratione allatas rationes satis id probare cre-
dam. Adducam adhuc ex S. Scriptura Ef. 40. v. 26. c. 42.
v. 5. Sin verò intellexere per *creare*, producere aliquid
instrumentaliter viribus à Deo ad id specialiter concessis,
ex quasi nihilo seu materia indisposita, certè non video,
qua ratione criminis rei sint.

§. 19. Objicit ulterius Lalemandetius : Quic-
quid potest annihilare, potest etiam creare. Creatura
potest annihilare. Ergo. Resp. neg. Maj. Minor enim
virtus requiritur, ut aliquid de statu perfectionis detru-
datur in statum imperfectum, ad quem inclinat, quām ut
aliquid ex nihilo perducatur in statum entitatis, ad quem
nullam habet proportionem. Neque Minor firma est;
quæ enim corpora naturalia annihilari videntur, non
abeunt in nihilum, sed in minima sua resolvuntur.

§. 20. Ultimum adversarium constituat nobis
Durandus, afferens in 2. d. 2. q. 4. potentiam creandi posse
creatüræ communicari, ut cause principali, non quidem
secundum totum suum ambitum, quia tunc idem se-
ipsum creare posset; sed quantum ad aliquem peculia-
rem effectum. Sed nec hanc opinionem firmo satis stare

D talo,

talo, hac ratione probo, quia creatura tunc ageret ex virtute concessâ & non propria, ac per consequens non principaliter. Virtus enim illa, per quam agit, aliud adhuc agnoscit principium, nimirum communicans. Objectiones reliquas Durandi ejusdem ferme farinæ accuratissimè resolvit de Rada P. II. C. 2. p. 42.

§. 21. E Nostratibus nobiscum faciunt Gerhard. Isagog. D. X. C. 3. §. 4. Jac. Martini C. II. Metaph. Exercit. V. Theor. 2. Scheibl. Met. P. II. c. 3. Dorscheus in detectione mala Fidei Pap. p. 1157. Scharff. L. II. Pnev. Hornejus D. Theol. V. Calov. Tom. III. Syst. Art. V. Quenst. Syst. Loc. de creatione.

S. D. G.

COROL-

COROLLARIA.

I.

**Ad ens rationis non sufficit (1)
non esse (2) non posse esse.**

II.

**Deus sine absurditate in prædi-
camentum recipi potest.**

III.

**Dubitatio, an Deus sit? est tem-
porarius Atheismus.**

IV.

**Angeli licet mutare possint π̄
suum, tamen sunt immobiles.**

V.

**Geographiæ notitia omni lite-
ris navaturo operam est necessaria,
e. c. si spectes Theologum , ad
Bibliorum , historiam Ecclesiasti-
cam ut taceam , evolutionem ,
exactissima non modo Palæstinæ,
verum**

verum & reliqui orbis conducit no-
titia; &c.

V I.

(1) Historia universalis non potest
dari.

V II.

Causa prima concurrit ad omnes
causas secundas.

V III.

Causæ secundæ libere possunt
agere.

I X.

Iris fuit ante diluvium.



Coll. diss. A. 1, msc. 59